MEMORIAM

VIRI INTER VIVOS CLARISSIMI

CASPARIS SELIGMANNI,

A. D. XXVI. MENSIS AUGUSTI

QUI EST DIES MERCURII

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

FRIDERICUS LINDEMANNUS,

DIRECTOR.

Adiecta est schedula lapide exscripta.

EX OFFICINA J. G. SEYFERTI.

De prisca acie Romana.

Ad locum Livii lib. VIII, cap. 8. vindicandum.

Quum nuper in scholis, quas de Romanorum rebus antiquis habeo, ad locum de militia Romana essem deductus; visum est mihi paullò diligentius inquirere illam aciei Romanae descriptionem, quam Livius lib. VIII, 8. satis uberem reliquit. Quae, quum esset antiquissima et multum diversa ab ea, quam Polybius in fragmm. libri VI, 19 seqq. decripsit; multum ea negotii interpretibus et rerum antiquarum scrutatoribus facessivit. Ac Lipsius quidem nullum discrimen inter Livianam illam antiquam, qualis ineunte seculo quinto A. V. C. in bellis cum Latino populo gestis obtinuit, statuens esse, et inter Polybianam quae postea in bellis Punicis et insequenti tempore fuit, multa apud Livium corrigenda et Livium e Polybio emendandum esse censuit. Sequuti sunt multi alii, qui vel Lipsii sententiam probantes vel leviter tantum dissentientes, multa in obscuro reliquerunt, aut nihil prorsus ad Livianam narrationem illustrandam contulerunt. Nuper Niebuhrius Lipsii temeritatem aversatus, Livii aciem non ex Polybio explicandam esse intelligens, meliorem eius explanandae viam iniit; sed idem tamen Livium vel errasse vel deceptum esse putabat, eo quod vexilla tertiae aciei cum ordinibus confudisset. De qua re postea videbimus. Nunc primum ipsa Livii verba apponenda videntur. Liv. VIII, 8.

„Clupeis antea Romani usi sunt; deinde postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clupeis fecere. Et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse; potremo in plures ordines instruebantur. Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat. Prima acies *hastati* erant, *manipuli quindecim*, distantes inter se modicum spacium; manipulus leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leves autem qui hastam tantum gaesaque gerebant vocabantur. Haec prima frons in acie florem iuvenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde aetas, totidem manipulorum, quibus *principibus* est nomen, hos sequebantur, scutati omnes, insignibus maxime armis. Hoc triginta manipulorum agmen *antepilanos* appellabant, quia sub signis

iam alii *quindecim ordines* locabantur, ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat. Earum unamquamque *primum pilum* vocabant. Tribus ex vexillis constabat; vexillum centum octoginta sex homines erant. Primum vexillum *triarios* ducebat, veteranum militem spectatae virtutis; secundum *rorarios,* minus roboris aetate factisque; tertium *accensos,* minimae fiduciae manum, eo et in postremam aciem reiiciebantur."

Ab his recedit Polybii narratio, quem tamen, ut recte vidit Niebuhrius, de seriori aetate loqui, probe est tenendum. Verba Polybii sunt haec VI, 21 et 24.:

Διαιροῦσι δ' αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον, ὥστ' εἶναι τοὺς μὲν πρεσβυτάτους, καὶ Τριαρίους προσαγορευομένους, ἑξακοσίους, τοὺς δὲ Πρίγκιπας, χιλίους καὶ διακοσίους, ἴσους δὲ τούτοις τοὺς Ἀστάτους, τοὺς δὲ λοιποὺς καὶ νεωτάτους Γροσφοφόρους. Ἐὰν δὲ πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσιν, κατὰ λόγον ποιοῦνται τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν Τριαρίων, τούτους ἀεὶ τοὺς ἴσους. — Ἑξῆς δὲ τούτοις — διεῖλον τὰς ἡλικίας, ἑκάστην εἰς δέκα μέρη, πλὴν τῶν Γροσφομάχων· καὶ προσένειμαν ἑκάστῳ μέρει τῶν ἐκλεχθέντων ἀνδρῶν δύο ἡγεμόνας καὶ δύο οὐραγούς. Τῶν δὲ Γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας κατὰ τὸ πλῆθος, ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν. Καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα (ordinem) *καὶ σπεῖραν* (manipulum) *καὶ σημαίαν* (vexillum), *τοὺς δὲ ἡγεμόνας Κεντυρίωνας καὶ ταξιάρχους* (centuriones et ordinum ductores).

Ut Livii verba cum Polybii narratione consentanea redderet Lipsius, multa in iis immutavit, temerario prorsus et inutili consilio. Primum enim omnium tenendum est, Livium loqui de tempore bellorum cum Latinis gestorum, quod tempus fuit ineunte saeculo ab V. C. quinto. Fieri igitur prorsus nequit, ut Livium e Polybio emendemus, quum aliam fuisse Polybii, hoc est, bellorum Punicorum aetate, aciei Romanae rationem, et alium legionis numerum, etiam aliunde constet. Igitur Lipsius apud Livium pro *quindecim* scribi iubet *decem,* pro *triginta* mutat *viginti*, pro vv. *LX milites duos centuriones* legit: *LX milites et duos, centurionem et vex.;* tum pro *quindecim ordines* emendat *decem ordine;* tum in vv. *ex quibus ordo uniusquisque tres partes* tollit v. *ordo*; pro vv. *unamquamque primum pilum* exhibet *unamquamque primam, pilum voc.* Quae omnia reprobatione non indigent. Ipse satis de se indicium facit, inter corrigendum laetus proclamans: *uro et seco.* Aliter et satis caute Niebuhrius, qui cum intellexisset, ut diximus, per se solam esse spectandam Livii descriptionem neque contendendam eam ad Polybii verba, haec proposuit in Historia Romana tom. II, pag. 476 sqq.:

Nach diesem Bericht bestand die Legion am Anfang des fünften Jahrhunderts aus fünf verschiedenen Abtheilungen, welche wir der bestimmten Bezeichnung wegen mit der Freiheit, welche sich unsere Vorfahren in solchen Dingen erlaubten, Bataillons nennen können. Es waren die Hastaten, die Principes, die Triarier, die Rorarier und die Accensi. Die drei ersten sind aus der späteren Legion bekannt genug; die Rorarier waren leichte Infanterie, welche nachher mit dem Nahmen Velites eine vollkommnere Einrichtung und ausgedehnteren Gebrauch erhielt; die Accensi eigentlich ein Depotbataillon, welches aber der Legion folgte und vielleicht als leichte Truppe diente. (Cf. Festus in v. *Adcensi.*) Hierüber wäre Livius, obwohl von Andern abweichend, wohl nicht entschieden irrig; eine arge Verwirrung aber hat er in den Elementen gemacht, aus denen die Zahl der drei letzten Bataillone, und

also auch der gesammten Legion, hervorgehen soll, und für diese verdient er grossen Tadel. Denn er müsste sie bemerkt haben, und leicht hätte er sie dann berichtigen können, wenn er nur die Zahlen ausgerechnet hätte. Wie es aber augenscheinlich ist, dass er dies gar nicht versucht hat; so muss dieses Beispiel zur Rechtfertigung des Kritikers dienen, welcher ihn als Zeugen über die veralteten Formen verwirft, wo er nicht ältere copirt.

Jedes der beiden ersten Bataillone zählte funfzehn *Maniplen*, iedes von sechszig Gemeinen und zwei Centurionen, also iedes Bataillon neunhundert Gemeine und dreissig Centurionen (der Vexillarius gehört unter die sechszig Gemeinen). Die drei letzten, als hinter den Fahnen in Reserve aufgestellt, waren, nach dem Schriftsteller, den Livius vor Augen hatte, zusammen nur in funfzehn Ordines getheilt, deren ieder drei Vexilla, eines von iedem Bataillon, hatte, folglich also dreifach so stark war als ein Manipulus der vorderen Treffen, nämlich hundert sechs und achtzig Mann, unter denen sechs Centurionen zu verstehen sind. Hier verwirrt sich Livius; denn er nimmt für die Stärke des Vexillum was Stärke des Ordo war, und macht ienen dennoch zum dritten, vielleicht zum neunten Theil des Ordo, woraus für die Bataillone anstatt 2700 Gemeine, eine Zahl von 8100, oder gar von 24,300 entsteht, während er selbst die Zahl der Legion doch nur auf 5000 angiebt. Sein Irrthum ist aus blosser Flüchtigkeit entstanden, und, einmal bemerkt, kann er dem reinen Begriff der gar nicht verwickelten Sache nicht weiter im Wege stehen.

Sic Niebuhrius. Nos videamus, utrum Livio tam graviter accusato suppetias ferre possimus. Livius quinque agnoscit in una legione genera peditum, quorum duo priora duas anteriores acies, tria posteriora tertiam aciem conficiebant; apud Polybium vero e tribus tantum generibus peditum constat legio, quorum unum quodque unam aciem efficit: *Hastati, Principes, Triarii*; id quod postea quoque in usu fuit. Livius *quindecim* ordines Hastatorum, *quindecim* Principum, totidem in universa tertia acie fuisse refert; Polybius vero in unaquaque acie *denos*. Ordinum secundum Livium apud Hastatos et Principes unusquisque sexaginta et duobus hominibus constabat, in quibus *duo* centuriones et *unus* vexillarius, unde coniicere licet, ordinem et manipulum apud Hastatos et Principes, nisi eiusdem rei vocabula, tamen eiusdem numeri fuisse. Saepe enim *ordinum ductores* dicuntur Centuriones apud scriptores, maxime apud Livium; et apud eundem XLII, 34. Sp. Ligustinus commemorat, sibi a T. Quinctio Flaminio *decimum ordinem Hastatum* assignatum esse. Idem patet e multis Plauti et Terentii locis, ubi *manipulum ducere*, *maniplares ducere*, *maniplares centuriare* et alia eiusmodi saepe leguntur. Cf. Plaut. Mil. gl. III, 2, 3.

Si centuriati bene sunt maniplares mei.

Idem Mostell. V, 1, 17.

Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos.

Terent. Eun. IV, 7, 6.

Ubi centurio est Sanga et manipulus furum?

Idemque satis ostendit Livius, quum unum vexillarium ordini assignat, et, postquam dixit, Antepilanos fuisse *triginta manipulorum*, ita pergit: *sub signis iam alii quindecim*

*ordines locabantur.**) Idem testantur Polybii verba, singulas legionis partes vel ordines, vel manipulos, vel vexilla esse appellatas, referentis. Ex quibus omnibus illud certe apparet, nomina *ordinis* et *manipuli* a scriptoribus promiscue esse posita. Haec si vere disputavimus, Hastati et Principes, triginta manipulos in acie obtinentes, numerum mille octingentorum et sexaginta militum conficiebant.

Jam tertia acies erat Triariorum cum Rorariis atque Accensis. Hi dicebantur *Pilani* communi nomine, quum anteriores acies, Hastati et Principes, dicerentur *Antepilani.* Omnis vero haec tertia acies quindecim ordinum erat, quorum unusquisque in tres partes divisus, hoc est, in *tres pilos*, centum octoginta sex hominum erat, in quibus sex centuriones, quorum bini in unoquoque pilo. Etenim non dubium esse videtur quin legatur apud Livium: *eorum unamquamque pilum vocabant*, ommissa voce *primum*, quae a librariis est addita, quibus *primus pilus*, cuius tam frequens mentio apud historicos Romanos, tam usitatus erat, ut vocem *pilus* sic simpliciter positam non intelligerent. Itaque aut unus tantum in universa legione *primus pilus*, aut *primus pilus* apud Triarios, *primus pilus* apud Rorarios, *primus pilus* apud Accensos; et qui eorum primorum pilorum essent centuriones, *primipili* vel *centuriones primi pili* dicebantur. Nam quemadmodum unusquisque manipulus in utraque anteriori acie duos habebat duces, unum *centurionem*, alterum *succenturionem*, ita in tertia acie unicuique pilo unus centurio et unus succenturio erat praefectus. Postquam vero Rorarii et Accensi desierunt, unus tantum centurio primi pili, sive unus primuspilus est relictus, si antea tres fuerunt, id quod mihi probabile est, quum apud Livium in illa antiqua legione primi pili centurionem inter Triarios diligenter ab aliis distinctum primis pilis reperiamus. Livius enim loco citato sub finem cap. 8. habet: *Duo primipili ex utraque acie* (Romanorum et Latinorum) *inter triarios erant; Romanus, corpore haud quaquam satis validus, ceterum strenuus vir peritusque militiae: Latinus viribus ingens bellatorque primus, notissimi inter se, quia pares semper ordines duxerant. Romano, haud satis fidenti viribus, iam Romae permissum erat ab consulibus, ut succenturionem sibi, quem vellet, legeret, qui tutaretur eum ab uno destinato hoste.* Cur enim adderet Livius, inter Triarios utriusque aciei fuisse istos primos pilos, si id aliter se habere non posset, ac si nusquam alibi primos pilos fuisse consentaneum esset? Quum vero sub Scipione Africano bello Punico secundo vetus legionis ratio plane esset immutata et Rorarii cum Accensis desiissent pro iisque Velites introducti; necessarium erat, ut unus tantum primi pili centurio, quemadmodum unus primus pilus, relinqueretur.

Jam ex diligenti consideratione Livianae descriptionis collegisse mihi videor et perspexisse, unamquamque istarum trium acierum tres milites in altitudinem positos habuisse, sive, milites uniuscuiusque aciei plerumque ἐπὶ τριῶν, *trinos*, stetisse. Contra in acie Polybiana ἐπὶ δυοῖν, *bini* haud dubie stabant. Atque hac ex re factum esse aliquando mihi videbatur, ut manipuli cum ordinibus, sicut in tertia acie vexilla cum ordinibus confunderentur, quia eundem haberent numerum.

---

*) Apud seriores, postquam legio in cohortes, cohors in centurias divisa est, *manipulus* erat pars centuriae, ac teste Vegetio II, 3. decem homines, uno contubernio iunctos complectebatur.

Etenim sive manipuli in longitudinem porrigerentur, ordines vero in altitudinem, necesse erat, ut, qui numerus secundum longitudinem computatus dicebatur manipulus, is in altitudinem positus et numeratus diceretur ordo; sive in longitudinem porrigeretur ordo, manipulus vero in altitudinem, eadem esset ratio et computatio; quo factum esse putabam, ut re quidem diversi, numero autem iidem manipuli et ordines fuerint. Sed rem diligentius examinanti apparuit, *manipuli* nomen fuisse antiquitus communem omnis parvae militum manus appellationem, quae seriori tempore, forsitan a Scipione Africano, certae cuidam parti aciei data fuerit; a Livio autem ordinem et manipulum promiscue esse dictum; quod idem a Polybio factum. Certius est et ex Livii descriptione clarissime elucescit, in tertia acie unumquemque ordinem ex tribus trium diversorum vexillorum partibus, hosest, ex uno *pilo* Triariorum, ex uno Rorariorium, ex uno Accensorum constitisse, quod ipsum Livius manifeste, sed iusto brevius, significat, quum dicit, ordinem ex tribus vexillis constitisse, pro quo dicendum ei fuit, si diligentius loqui vellet, ex tribus diversorum vexillorum trientibus ordinem fuisse compositum. Unde sequitur, ut in tertia acie numerus vexilli idem fuerit atque ordinis, res autem his nominibus significatae non eaedem. Quare nihil censemus mutandum esse in omni ista Livii descriptione, nisi unam vocem *primum* ante v. *pilum*, quam vocem delendam esse, supra indicavimus; neque vero accusandum esse Livium, nisi quod manipuli nomine communi ordines appellaverit et non ubique satis dilgenter fuerit locutus.

Itaque etiam tertia acies ex quindecim ordinibus constans, sive quod eodem redit, ex quindecim vexillis, ἐπὶ τριῶν posita erat, ita ut unaquaeque series hominum ad idem genus armaturae pertinentium, omnem aciei latitudinem transcurrens, quinque *vexilla*, unumquodque vexillum tres *pilos*, unusquisque *ordo* tres itidem *pilos* continuerit. Et quum vexillum centum octoginta sex hominum esset, quemadmodum Livius diserte commemorat, totius tertiae aciei numerus non ultra duo millia septingentos et nonagiuta excurrit. Duarum autem priorum acierum numerum vidimus fuisse mille octingentos et sexaginta, unde peditum in una legione numerus confit 4650. Cui numero si adiicias trecentos equites, legioni ad latus atque in cornibus positos, iusta legionis efficitur multitudo 4950. Quare quum Livius l. c. referat, scriptas esse quattuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis, suspicio mihi est, aut Livium noluisse accurate numerum definire, aut voc. *peditum* a male sedulo libraro additum, esse abiiciendum. Et quum porro apud eundem legatur in seqq., alterum tantum ex Latino delectu adiectum fuisse, id non de augmento singulárum legionum valere, sed sic esse intelligendum, quattuor amplius legiones ex sociis Latinis esse conscriptas, sponte patet.

Quae singula iam ut illustremus et muniamus diligentius, age, pauca addamus de tabula lapide exscripta, quam huic schedulae adiunximus.

Ut supra diximus, *trini* stetisse videntur in acie illa antiqua milites Romani. Quod mihi fit probabile, quum Livii verba pondero, qui apud Hastatos manipulum praeter aliam turbam scutatorum vicenos leves milites habuisse refert. Isti viginti leves haud dubie primam in acie seriem, seorsim positam, efficiebant, unde reliqui essent bis viceni, quos si aequaliter divisos vellent, ut loci ratio postulabat, duae posteriores series locandae erant, unde tres

in uno ordine series erant, tresque series hominum per totius aciei latitudinem pertinebant. Quod simili modo se habuisse in reliquis duabus aciebus, supra ostendere conati sumus.

Singuli ordines brevibus inter se spaciis distabant, teste Livio, qui alibi etiam commemorat, principes in intervalla sua hastatos, et triarios in intervalla sua priores acies recepisse. Veluti lib. VIII, cap. 8. *Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos recedentes in intervalla ordinum principes recipiebant.* Et paullo post: *Triarii consurgentes ubi in intervalla ordinum suorum principes et hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias, unoque continenti agmine, iam nulla spe post relicta, in hostem incidebant.*

Vexilli signum in unoquoque ordine Hastatorum et Principum fuit unum; unum enim ordo habebat vexillarium. In tertia autem acie vexilli signum in primo vexilli pilo erat, ita ut, quum vexilla et ordines semet invicem dissecarent, trium ordinum primus tria haberet vexilla, duo sequentes nullum. Quod statui propterea videtur necessarium, quia saepenumero Triarii, Rorarii et Accensi pugnabant seorsim, ut, si unusquisque ordo vexilli signum habuisset, id apud unus Triarios fuisset, Rorarii vero et Accensi eo caruissent. Veluti Livius VIII, 9. narrat, Rorarios procurrisse inter Antepilanos addidisseque vires Hastatis et Principibus, Triarios autem remansisse et genu dextro innixos nutum consulis ad consurgendum exspectasse. Ibidem paullo post c. 10 consul Accensos ab novissima acie ante signa procedere iubet, Triariis nihildum se moventibus. Interdum tamen universa acies postrema simul in hostem tendebat, scilicet receptis, ut supra indicatum est, in intervalla ordinum suorum Hastatis et Principibus. Idque eo verisimilius, quum Rorarii pariter atque Accensi haud absimiliter Triariis essent armati, quippe qui pila haberent. Idque testatur Livius eodem illo loco, ubi Accensos a consule ab novissima acie ante signa procedere iussos narravit, subiungens, Latinos, tanquam idem fecissent Romani, Triarios suos excitasse. Accensi igitur Romanorum a Latinis pro Triariis habiti sunt, quod fieri non potuisset, si alio armorum genere uterentur. Ex quibus Livii testimonii simul intelligitur, Rorarios atque Accensos in tertia acie post Triarios fuisse locatos, eumque habuisse locum, quem nos iis in tabula descriptionis assignavimus.

Praecipua autem legionis signa, veluti aquila, deorum imagines, vel si quid aliud pro signo esset, in qua re antiquitus certa observatio non erat, apud Triarios fuisse videntur. Liv. VIII, 11. *Caesos Hastatos Principesque*; *stragem et ante signa et post signa factam*; *Triarios rem restituisse.* Itaque sub signis dicuntur quindecim ordines tertiae aciei esse, loco supra citato (VIII, 8.) et Triarii sub signis considere. Etiam postea legionis aquila a primi pili centurione servabatur. Id mutatum, quum Mariana militiae mutatione aquila a Triariis ad primam aciem translata esset. Signa tamen etiam dicta esse vexilla Hastatorum et Principum, satis constat, id quod testatur Livius VIII, 9. *Quum iam portis prima signa et pars agminis esset egressa.*


Postremo *primum Hastatum, Primum principem, primum pilum* in media uniuscuiusque sua acie locavimus, propterea quod Livius loco supra excitato diserte narrat, primi pili

centuriones inter Triarios et in Romana acie et in hostili semper in pugna concurrisse et inter se depugnasse. Quod fieri non potuisset, si in alterutro cornu stetissent.

Sed haec hactenus disputata sunto. Reliquum est, ut significemus, cuius rei caussa haec scripta sint.

Indicenda nobis est Casparis Seligmanni memoria, cuius celebrandae caussa orationem habebimus, quam ut audire velint et praesentia sua nobis animos addere, Patres Civitatis Amplissimos, Verbi Divini Ministros summe et plurimum Reverendos, Collegas Coniunctissimos et commilitones suavissimos omni qua par est observantia volumus rogatos.

P. P. in Gymnasio Zittaviensi Dom. X. post Tr.
CIↃIↃCCCXXIX.


Equitum turmae V.
ii.
vii.
cons.